DE

VEXILLI ET VEXILLARIORUM APUD TACITUM VI ATQUE USU.

SCRIPSIT

Dr. J. STAUDER,

GYMN. COLON. CATH. AD S. MARCELLUM SUP. ORD. COLLEGA.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De vexilli et vexillariorum apud Tacitum vi atque usu.

Ut post multas variasque de vexillis et vexillariis a viris doctis prolatas sententias hanc quaestionem multis modis turbatam, quippe quae in iterata Taciti lectione saepius me impeditum tenuisset, denuo repeterem, Annalibus nuper discipulis nostris ad interpretandum propositis adductus sum. Etenim quamquam interpretes inde a Justo Lipsio, clarissimo Taciti „sospitatore", usque ad Nipperdeium, editorem recentissimum, singulos locos magna cum diligentia congesserunt congestos in certum ordinem redigere atque suo quemque numero adscribere conati sunt: tamen etiam post Hertelii [1]) operam in editione Agricolae huic rei navatam et post Ritteri [2]) curas ceteroqui diligenter in eam attenti haud pauca superesse videbantur, quae, ut repetita omnium locorum recensio uno quasi obtutu ante oculos poneretur, magnopere invitarent. Tantum enim abest ut res lubrica ad liquidum perducta sit, ut complures loci gravissimi scriptoris illorum sententiis repugnare videantur atque ab aliis aliter explicentur. Quare ut pro viribus quantuliscunque et ad scriptorem unum omnium difficillimum rectius intelligendum pauca conferrem et quae ex ipsis scholis Taciteis profecta sunt scholarum usui destinarem, hac scribendi occassione oblata de vexilli et vexillariorum apud Tacitum vi usuque paullo accuratius disputare haud alienum visum est.

At ne quis aut acta me agere aut litem vix dirimendam frustra componere me velle, obiciat, eum probe tenere velim, cardinem quasi quaestionis difficillimae in eo ipso versari, ut quibus locis suam dicendi legem scriptor aperte constituerit statim cognoscas atque unde potissimum proficiscendum quove tendendum sit certum fixumque appareat. Quam cum multi interpretes vel prorsus ignorarent vel praeiudicatis opinionibus capti non in omnes locos aequabiliter adhiberent, ea orta est rei confusio, qua prout alium audias aliam de vexillariis opinionem traditam accipias.

Iam ut via ac ratione procedat oratio, disputationem locosque interpretandos omnes ita dividere placet, ut commemoratis priorum de vexillariis opinionibus primum loquar de vexillis singularum legionis partium ad certa munera obeunda sub praefecto praepositove

[1]) Taciti Agricola. ed. Hertel. Lips. 1827 in exc.

[2]) Taciti Opera. ed. Fr. Ritter. Cantabr. 1848.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aliquo missarum, tum vexilla veteranorum vexillariosque, quos solos ita proprio nomine appellatos voluerunt nonnulli interpretes, paullo accuratius investigem et subiunctis iis, quae de vexillis tironum, equitum, singularum cohortium apud scriptorem nostrum traduntur, postremo et quae ex Taciti loquendi genere fuerint vexilla et quid intercesserit discriminis inter ea signaque certius definire suisque finibus circumscribere studeam.

Quae de vexillariis circumferuntur virorum doctorum opiniones apte cum Hertelio l. l. in quattuor classes ita dividere volui, ut primae et alterius Lipsium ponerem auctorem. Is cum ad Ann. I 17. vexillarios fuisse veteranos, qui stipendiis peractis i. e. vicesimo militiae anno absoluto sub vexillis haberentur, donec praemium et emerita acciperent, statuisset, contra ad Hist. II 100 hoc adiungit: „sciendum est, duplicia vexilla videri illo aevo fuisse: prius e veteranis, alterum ex electione in necessitate aliqua aut bello: cum ipsae legiones et aquilae in castris aut provinciis relinquebantur, certa manu discerpta, qui sub vexillo mittebantur; hi tales vexillarii et e tali legione dicuntur.“ [3]) Hanc alteram sententiam huc illuc mutatam inter alios secuti sunt Gronovius [4]) et Le Beau. [5]) Tertio loco Hertelius ponit unum Ernestium, [6]) qui in excursu ad Tacitum haec tria invenisse sibi videtur: „primum fuisse vexillarios peculiare genus militum sive peculiarem militiae gradum; deinde legionarios milites fuisse; denique fuisse tirones eosdemque, qui olim hastati fuerint.“ Quartam classem efficiunt Salmasius [7]) et Dureau de Lamalle: Ille levis armaturae milites intelligit, hic primas singularum cohortium centurias vexilli custodes dici putat vexillarios. (Grenadiere). Ex his omnibus unam Lipsii quam altero loco posui opinionem veram esse, ut inter omnes iam satis constat, ita qui Taciti loci ad delectos, qui ad veteranos referendi sint, valde ambigitur. Nobis vero id maxime propositum est, ut qua vi vocabulis vexilli et vexillariorum ille usus sit, ex ipsius scriptoris locis comparatis omnibus eruere atque, quantum fieri possit, eius dicendi consuetudine omnem dubitationem in posterum profligare conemur.

Ac vexillariorum nomen cum apud scriptores liberae reipublicae nusquam nisi de signiferis dicitur, imperatorum demum aetate [8]) de militibus sub vexillo tendentibus ita valuit, ut in nomen proprium quasi abiisse videatur, quo omnis militiae generis delectos quique a toto corpore seiuncti essent, complecterentur. Eodem fere sensu etiam apud Caesarem Livium alios vexilla supplementorum ad exercitum missorum pluribus locis reperiuntur, sed vexillariorum appellationem frustra quaesiveris. Quare ab Augusto, qui in re militari et commutavit multa et instituit, [9]) de militibus sub vexillo missis mutationem aliquam factam esse statuamus necesse est. Sicut enim veterani ab illis demum temporibus post exauctorationem apud exercitum tanquam propriae cohortes retinebantur, „ceterorum immunes nisi propulsandi

---

3) cf. Lips. de militia Romana. I, 8 et V, 19.

4) Gronovius ad. Tac. Agric. 18.

5) Le Beau. Mémoires de l'academie des inscr. t. XXXII p. 301. sq.

6) Ernesti ad Tac. II, 2 in excursu.

7) Graevii Thesaurus A. R. t. X p. 1428 al.

8) Inde ab Augusto. Hinc explicandum est quod apud Tacitum potissimum vexillarii nominantur atque ex illius locis recte interpretandis de summa quaestionis pendet indicium.

9) Suet. Aug. 100.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hostis," ita domi militiaeque ad varios usus diversaque militiae munera singulas copiarum partes delectas saepissime amandatas esse constat.[10]) Id in bellorum discrimine in Caesareis maxime provinciis factum esse consentaneum est, cum bello aliquo exorto provinciae in confinio hostium positae non omnibus copiis nudari possent eaedemque ad expeditiones in diverso fortasse terrarum tractu faciendas necessariae viderentur. Inde robur legionum paullatim subversum esse, cum ignoti ex diversis partibus coacti neque ullo necessitudinis vinculo inter se coniuncti minus acriter pugnarent, suo iure inter corruptae militiae causas profert Langius.[11]) His delectis cum, nisi tota legio e castris educeretur, religionis causa aquilam praeferri non liceret, tanquam insigne vexillum proprium tribuitur ipsique ex frequenti usu dicuntur vexillarii. Aliam explicandi rationem iniit Hertelius p. 97 sq.; qui cum a praesidiis agitandis necessitatem militum e legionibus deligendorum deducere conatur, neque iustam causam, cur id illis demum temporibus factum esse putaret attulit neque unquam exemplis evincere nobisque persuadere poterit, eos milites, qui ad eum usum semel adhibiti essent, cum iam ad suam legionem rediissent, propriis sub vexillis mansisse ac vexillarios, quasi adhuc abessent, appellatos esse. Immo donec sub vexillo a toto corpore seiuncti agitabant, et erant et appellabantur vexillarii, reversi iam vel cohortium vel manipulorum nominibus ut antea distinguebantur. Veteranos autem, cum exauctorati inde ab Augusti aetate sub suo tenderent vexillo, proprio nomine vexillarios et ipsos appellatos esse ut facile concedo, ita cum alii insuper essent vexillarii, ut utrique distingui possent, additamentum aliquod, quo militiae genus cognosceretur, et addendum fuisse et passim fere a Tacito additum esse etiam atque etiam contendo. Miro quidem interpretandi artificio Walchius.[12]) totam quaestionis confusionem ex duplici usu vocabuli vexilli deducendam putat idemque inter vexilla legionum et vexilla delectorum e legionibus multum interesse probare conatur. Quod ut verum esse evinceret multos Taciti locos longe diversos ita adhibuit, ut aut solos veteranos eminenti quodam sensu dictos esse vexillarios praeterque ipsos non fuisse, qui eodem nomine appellarentur, aut Taciti dicendi consuetudinem ambignum quiddam ac contortum redolere statueret. At vero cum ad singula eius argumenta refutanda loci ipsi infra rectius interpretandi ansam praebere videantur, hoc virum doctum primum omnium attendisse velim, summam scriptoris diligentiam eo ipso loquendi genere conspicuam esse. Ab ea enim dicendi lege — quam pro fundamento quasi totius disputationis positam volui — nusquam illum recessisse obeservavi, ut substantivis vexilli sive vexillariorum genitivum vel aliud attributum, quo genus militum cognosceres, aut diligenter adiungeret aut ex totius narrationis serie accurate perspecta facile id eluceret. Quod si probe tenueris, omnis dubitatio sublata videbitur neque contortis interpretamentis scriptoris locos turbari patiere. Boetticherus autem, qui in lexico Taciteo[13]) electos s. delectos cum vexillariis non confundendos esse mouit, multis Taciti locis, quibus qui uno loco electi ex hac illa legione dicuntur alio vexilla eiusdem sive vexillarii appellentur luculente refellitur. cf. H. I 61 coll. III 89. Ann. XV 26. vexilla delectorum

[10]) H. IV 14. 15. II 57.

[11]) Lange. Historia mutationum rei militaris Romanorum. Gotting. 1846. p. 75. 78.

[12]) ad Agric. c. 18.

[13]) s. v. vexillarii et vexilli.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ex Illyrico et Aegypto.[14]) H. II 100. vexillarii trium Britannicarum legionum. coll. H. II 57. Ipse e Britannico delectu octo milia sibi adiunxit; atque de iisdem H. III 22. vexilla nonae secundaeque et vicesimae legionum.[15])

Ita constituta quasi summa quaestionis, quae in disceptationem venire debet, iam singula vexillariorum genera sic ex ipsis scriptoris locis illustrabo, ut qui aut revera aut variis interpretum erroribus difficultate aliqua laborant praemittam; quibus accuratius examinatis conspectum reliquorum omnium, qui apud Tacitum proferuntur, breviter subiungam. Ac primum quidem vexillum[16]) dicitur insigne singularum legionis partium ad certa munera obeunda sub praefecto sive praeposito missarum itemque copiae sub eodem coniunctae, quas hodie rei militaris periti appellant Detachements, detachirte Corps. Quo sensu genitivus substantivis vexilli et vexillarioram fere adiunctus totum indicat corpus, cuius delecti partem aliquam efficiunt. Plurimos Taciti locos huc spectantes mirum quantum vexarunt cum alii interpretes tum imprimis L. Walchius, qui quamvis multa doctrina id unum egisse videtur, ut rem claram apertamque obscuram redderet magnisque difficultatibus involutam.

Primus locus est Ann. I 20. Interea manipuli ante coeptam seditionem Nauportum missi ob itinera et alios usus postquam turbatum in castris accepere, vexilla convellunt. Ubi et manipulorum nomine et laboribus suscipiendis, cuiusnam illi militiae generis fuerint, satis superque indicatur. Mittuntur enim ob itinera et alios usus, quibus exauctoratos immunes fuisse constat. Vexillis autem manipuli ideo utuntur, quod a sua legione seiuncti non aquilas legionum duces sequi poterant, sed propria vexillariorum insignia, unde et ipsum nomen trahebant. Tales vexillarios sive vexillationes[17]) legionum vel cohortium passim reperiri et re ipsa consentaneum est et multis veteribus titulis luculente comprobatur. Cf. Orelli-Henzen Inscr. Lat. 845. 2008. 2009. 2010. 3993. 3565. 5276. 5456. 6621. 6693 cum nota Henzenii. In his omnibus milites varii generis ad similes labores perficiendos sub vexillis amandatos legimus. Istos autem non fuisse veteranos ex operibus ab iis susceptis clare intelligitur.[18])

---

14) v. Hertel. l. l.

15) Ex his quae attuli exemplis luce clarius probatur, nominibus delectorum, vexillorum, vexillariorum legionum plane promiscue Tacitum usum esse.

16) de derivatione vocabuli v. infra.

17) Vocabulum vexillationis, quod in multis inscriptionibus extat, apud Tacitum non reperitur.

18) Cf. etiam quae in Ann. XI 20. 21 de vexillariis ad fossam inter Mosam Rhenumque ducendam rivosque in metallis effodiendos adhibitis legimus. — Nunc videas praeterea. J. Freudenberg. Das Denkmal des Herkules Saranus im Brohlthal. Festprogramm zu Winckelmann's Geburtstag. Bonn 1862. Ubi in inscriptionibus ad Herculem Saxanum spectantibus passim vexillarios sive vexillationes singularum legionum vel cohortium inter milites dedicantes reperimus. Quos virum harum rerum peritissimum et apud nos quidem quasi signiferum ad equites singulis legionibus vel cohortibus additos referre valde miror, cum tales vexillationes de equitibus eminenti quodam sensu accipiendae ad Theodosii minoris aetatem reiciendae sint. Qui illic commemorantur vexillarii ad unum omnes ei militum generi attribuendi sunt, qui ut lasciviae luxuriaeque occurreretur, ad varia munia, ut ad vias muniendas, fossas ducendas, pontes faciendos, lapides caedendos al. e legionibus, cohortibus, alis, classe sepositi sub suo vexillo labores istos sustinerent.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Item se habet Ann. I 38. At in Chaucis coeptavere seditionem praesidium agitantes vexillarii discordium legionum. Eadem illi ac vexilla Pannonicarum legionum conditione praesidium agitaturi h. e. ad officia militaria in confinio hostium obeunda et a legionibus separati sub proprio erant vexillo suoque praefecto castrorum. Quod autem Walchius l. l. nullum aliud militum genus nisi veteranos intelligi vult, nihil attulit vir doctissimus, quo sententiam sane lubricam satis muniret. Idcirco enim rebellasse milites, quod audita ceterorum missione non et ipsos missos esse audivissent, neque ex scriptoris verbis apparet et earundem legionum veterani c. 35 distincte memorantur. [19])

Accedit locus gravissimus ab editoribus valde vexatus Agr. 18. ubi imperator cum media aestate in Britanniam transgressus milites iam per provinciam distributos invenisset, exercitum cogere constituit. Verba autem haec sunt: Contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu, quia in aequum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem. Qua de causa legionum vexilla veteranos necessario fuisse cum Walchio statuamus, me quidem assequi non posse, ingenue fateor. Quid enim? non contractis legionibus ipsis solos veteranos, senio confectos in tanto rerum discrimine adscivisse Agricolam unquamne cuiquam persuadebitur? Opponuntur legiones et auxilia atque singulae illarum partes per provinciam distributae dicuntur vexilla adiuncto genitivo, quo totum corpus, cuius erant delecti indicaretur. Neque plus profecit Hertelius, qui postquam locis sane gravissimis Ernestii de vexillariis tironibus opinionem refutavit, pariter veteranos illos fuisse evincere conatus neque proxime antecedentis loci rationem neque universam totius exercitus conditionem satis reputasse videtur.

Praeterea in delectorum numero ponendos duco mille vexillarios, quos Tacitus H. II 18. ad Spurinuae copias adsrciptos fuisse dicit: Certum erat Spurinnae, is enim Placentiam obtinebat, necdum venisse Caecinam, et si propinquaret coercere intra munimenta militem nec tris praetorias cohortes et mille vexillarios cum paucis equitibus veterano exercitui obicere, sed indomitus miles et belli ignarus correptis signis vexillisque ruere q. s. Quo loco tres praetoriae cohortes et mille vexillarios aperte opponi veterano exercitui nemini non in promptu est. At ut et ipsum numerum utriusque exercitus, id quod Walchio placet, inter se comparari facile concedas, neque illud quemquam effugere potest, eosdem paullo infra appellari indomitos et belli ignaros, unde id saltem consectarium videtur, veteranos illos non fuisse, fuisse delectos e legionibus vel cohortibus. At vero mihi obicies, legem illam dicendi, qua vexilliarii nude appellati nusquam fere reperiantur, quamque pro fundamento quasi disputationis positam dixerim, hoc loco aperte derelinqui. Nimirum derelinquitur ita, ut ex totius loci natura et ex verbis statim adiunctis, qui illi fuerint, eluceat atque id ipsum nobis suffragari videatur. Neque verum est, quod Ritterus. ad H. II 11 explicandi causa attulit. Nam quod illic veteranos e praetorio eosdem esse monuit, qui hoc loco mille vexillarii dicantur, memoria deceptus est vir doctissimus, cum illi inter comites Othonis memorentur, hi Spurinnae

[19]) Cf. Ritter. ad h. l., quo plurima quae huc spectant exempla collegit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

copiis adnumerandi sint, neque sibi constat vexillarios istos ad eundem locum veteranos e praetorio, ad Ann. I 38 et II 17 legionarios appellans.

Sequitur H. II 66. Angebat Vitellium victarum legionum haudquaquam fractus animus. Sparsae per Italiam et victoribus permixtae hostilia loquebantur, praecipua quartadecumanorum ferocia, qui se victos abunebant: quippe Bedriacensi acie vexillariis tantum pulsis vires legionis non adfuisse. His verbis, quibus planius nihil cogitari potest, Walchius et Ernestius mirum quantum abutuntur ad suam de vexillariis aut tironibus aut veteranis opinionem firmandam. Quam litem praereptam iam Pichena ita diremerat, ut vexillarios hoc loco dictos bina milia delectorum ex quattuor legionibus Delmaticis, quas Tacitus II 21 praemissas dicit, intelligendos esse censeret. Neque enim ita vires legionis opponuntur vexillariis, ut illae sint triarii, hi tirones, id quod Ernestio videbatur; neque quid sibi velit Walchius intelligo, si Tacitum, qui legionem ferocem dicentem faciat, ipsos non esse pulsos, eundem adiungere non posse putet, tertiam eorum partem fugatam esse. Ernestio fraudem fecit oppositio quae videtur virium legionis et vexillariorum ea quidem, ut vires quattuor legionum sint sedecim milia tanquam robur exercitus relicta, vexillarii octo milia (bina milia ex singulis legionibus) praemissa. Ita quidem bina milia interpretanda esse, Hertelium fugisse valde miror; scilicet non attendisse videtur vir doctus, non duo milia ex quattuor illis legionibus promiscue praemissa esse, sed bina milia. cf. Hertel. l. l. p. 93. Quamvis enim bina milia pro duobus milibus rarius dicatur, tamen apud Tacitum vix ullum locum reperies, quo distributivum numerale cardinalis loco usurpatum sic numeros ipsos continuo sermone excipiat. [20]) Accedit quod H. II 66 quartadecimani non dicunt, vexillariis tantum pulsis, vires legionum non adfuisse, sed suae legionis, quod plane ineptum esset, si bina milia non ex singulis legionibus, sed duo milia ex toto exercitu promiscue electi fuissent. Praeterea etiam H. II 43 tertiam decimam legionem sive delectos ex ea legione, quae II 11. inter quattuor illas memoratur, propulsam esse legimus, ita ut duo milia ex toto exercitu delecti vix cogitari possint.

Ut porro vexilla inprimis esse militum e legionibus vel cohortibus vel alio militiae genere delectorum, clarius perspiciatur, luculentum affero testimonium. H. II 89. Ipse Vitellius ponte Mulvio insigni equo, paludatus accinctusque, senatum et populum ante se agens, quo minus ut captam urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumpta praetexta et composito agmine incessit. Quattuor legionum aquilae per frontem totidemque circa e legionibus aliis vexilla, mox duodecim alarum signa et post peditum ordines eques, dein quattuor et triginta cohortes, ut nomina gentium aut species armorum forent discretae.

Vitellius igitur victor post pugnam Bedriacensem urbem ingrediens universum secum ducit exercitum, cuius singulae partes ita collocantur, ut cum ante primum agmen praecedant aquilae quattuor legionum integrarum sc. primae Italicae, quintae, unetvicesimae Rapacis, duoetvicesimae, [21]) iis adiuncta fuerint quattuor vexilla illarum legionum Germanicarum, ex

---

[20]) cf. Ann. I 8. XV 10. singula milia ex tribus legionibus, h. e. tria milia legionariorum.

[21]) cf. tamen infra ad H. II 100.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quibus singuli numeri sub singulis vexillis exercitui Vitellii additi erant. At vero si quaeris, quomodo factum sit, ut aquilis posteriores carerent, hoc maxime tenendum est, legiones nisi integrae proficiscerentur, aquilas in castris stativis relinqui moris fuisse Romanorum[22]) Remanserant autem apud ripam Rheni partes tantum exiguae illarum legionum praesidia agitaturae.[23])

Adde locum gravissimum, qui est H. II 100. Caecina e complexu Vitellii multo cum honore digressus partem equitum ad occupandam Cremonam praemittit. Mox vexilla quartae, quintae decimae, sextae decimae legionum, dein quinta et duoetvicesima secutae, postremo agmine unetvicesima Rapax et prima Italica cum vexillariis trium Britannicarum legionum et electis auxiliis.

Recte quidem Ritterus ad h. l. observat, vexilla legionum, non ipsas legiones vocari, quod non integrae istae exercitum Vitellii secutae sint, sed electi ex ceteris Germaniae militibus. Quod vero etiam duoetvicesimam totam tunc adfuisse dicit, id ut ex Taciti verbis evincere possit, magnopere vereor. Ut enim H. I 61. duas legiones, quintam et unetvicessimam tanquam robur exercitus in Italiam deductas et I 64. in itinere his numeris primam Italicam adiunctam esse retulit scriptor, ita de duoetvigesima ne verbo quidem monuit. Neque illud, quod ad H. III 13, 21, 22. excusandi causa attulit vir doctissimus, in nostrum locum cadere perspicuum est, quippe quo Tacitus non aliorum, sed suam ipsius proferat sententiam. Quam difficultatem ita ille sibi tollere visus est, ut ad H. II 57. Vitellium victoriae Bedriacensis ignarum integram legionem duoetvigesimam cum ipsa aquila sibi adiunxisse statueret. At in h. l. nihil aliud inest, quam Vitellium vires legionum adscivisse Germanicarum, quae nondum cum Caecina et Valente profectae erant, paucis relictis veteribus militibus.[24]) Sed eodem tempore dilectus ille per Gallias festinari iussit, ut remanentium legionum nomina supplerentur. Quare aut vires omnium legionum antea relictarum una cum aquilis iam Vitellium secutas esse aut duoetvicesimam solam distincte enumeratam exspectaveris. Accedit quod H. IV 37. coll. IV 24. Dillium Voculam legatum duoetvicesimae legionis electis in Germania praepositum esse legimus. Quae cum ita sint nulla alia difficultatis expediendae ratio superesse videtur, quam ut duoetvicesimanos pariter ac ceteros non omnes a Vitellio accitos esse ponamus, sed tantam legionis partem, ut qui remanserant veteres milites non iam speciem legionis praeferrent, sed sub proprio tenderent vexillo, cum profecti aquilam secum abstulissent. Id etiam verisimilius inde evadit, quod iam aliud vexillum eiusdem legionis vigesimae secundae a Nerone ad bellum Albanum gerendum excitum erat, quod Alexandriam praemissum et comperta Vindicis seditione rursus revocatum tunc Romae degisse ex H. I 6. 32. manifestum est. Quod si verum est, id inde cum probabilitate quadam conicere licet, ab una legione non plura vexilla simul avelli posse, quin

---

22) cf. Dio Cass. XL 18. *ὁ γὰρ ἀετὸς — καθίσταται ἐν πᾶσι τοῖς ἐκ τοῦ καταλόγου στρατοπέδοις, καὶ οὐδαμόσε ἐκ τῶν χειμαδίων, πλὴν εἴ ποτ' σύμπας ὁ στρατὸς ἐξίοι, κινεῖται.*

23) v. Ritter. ad H. II 57.

24) cf. orationem Civilis H. IV 14. Nunquam magis afflictam rem Romanam nec aliud in castris quam praedam et senes. Attollerent tantum oculos et inania legionum nomina ne pavescerent.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aquila ipsa alteris legionis electis praeferatur. Eam vero legionem, quae H. V 1. inter Titi copias Hierosolyma oppugnantes commemoratur, non fuisse nostram Primigeniam, sed XXII mam Deiotarianam in Aegypto tendentem iam a viris harum rerum peritissimis fusius explicatum est. [25])

Qui praeterea nominantur vexillarii trium Britannicarum legionum, sunt electi ex his ipsis, qui sub suis tendebant vexillis, quod robur illarum in castris stativis relictum erat. [26])

Iam venimus ad eum locum, qui medium fere ordinem inter vexillarios delectos e legionibus vel cohortibus et veteranos omnis militiae generis obtinere videtur: H. II 83. Sed legio sexta et tredecim milia vexillariorum ingenti agmine sequebantur. Quos et eodem esse, qui infra H. III 46 „et lectus in eandem spem e legionibus miles" appellantur, iam satis constat, neque minus recte viri docti Walchii opinionem veteranos illos fuisse iustis causis refutaverunt. Unde enim tot milia veteranorum, qui sub vexillis usque ad illum diem tetenderint? [27]) Equidem ut maximam quidem partem ex legionibus Syriacis et Iudaicis eadem ratione, qua etiam Vitellium ex Germanicis vexillarios secum duxisse legimus, electos illos fuisse libenter concedo, ita non solos illos, sed cum veteranis exauctoratis coniunctos contendo. Id ut statuendum esse putarem, duabus potissimum causis adductus sum. Altera quidem quod c. 82 primam belli curam fuisse Vespasiano ait scriptor, agere dilectus, revocare veteranos [28]) et in eodem capite extremo: sufficere videbantur adversus Vitellium pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen. Altera vero causa deducta est ex illo Taciti loquendi usu, quo si vexillarios illos solos fuisse electos e legionibus dicere voluisset, nomina earum, ex quibus electi essent adderet necesse erat. [29]) Ea vero dicendi lege ita se passim obstrictum esse voluit, ut nisi certae rationes omissionem aut flagitarent aut permitterent, nusquam eam derelictam esse invenias. Quod in nostrum locum praeter ceteros cadere, mihi quidem persuasum est. Nimirum in tredecim illis milibus vexillariorum et electi e legionibus et veterani ad hoc bellum evocati sive revocati inerant, ut coniunctis iis vexillis in universum nomen vexillariis tribuere posset atque deberet, nisi singulas legiones omnes enumerare et ex his electos una cum veterano milite sub certis vexillis profectos esse iudicare vellet. Ita et ingens eorum numerus facile explicatur et ex Taciti loquendi lege constanter observata nihil est, quod offendat.

Habes locos scriptoris nostri, qui vel re vera difficultate aliqua laborant, vel variis interpretum artificiis turbati non recte intelligebantur. Restat, ut uno quasi conspectu reliquos omnes comprehendamus, quibus delecti ex quovis militum genere ab illo laudantur. Sunt autem hi:

---

25) In universum cf. Wiener. de legione vicesima secunda p. 23 sq. Grotefend. Zeitschrift für Alterthumswissenschaft, 1840. p. 659. Klein. Ueber die Legionen, welche in Obergermanien standen p. 12. ff.

26) Cf. H. II 57. Ipse e Britannico delectu octo milia sibi adiunxit. H. III 22. vexilla nonae secundaeque et vicesimae legionum. v. supra.

27) Cf. Suet. Vesp. 15. Hertel. l. l. p. 94.

28) V. supra.

29) Cf. Lange. Hist. mut. p. 78 not. 18, ubi vel calculo probabilitatis ad mortalitatis rationem accommodato tantum veteranorum numerum esse non potuisse effici docet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ann. IV 73. Vexilla legionum e superiore provincia peditumque et equitum auxiliarium delectos accivit. XIV 34. Cum vexillariis vicesimanis. XIV 38. Auxitque Caesar missis ex Germania duobus legionariorum milibus. XV 10. Expediri singula milia e tribus legionibus iussit. XV 26. Vexilla delectorum ex Illyrico et Aegypto.

H. I 31. Illyrici exercitus electi. — Germanica vexilla. I 53. Vexillis inferioris Germaniae praeventus erat (exercitus superior). I 70. Cum vexillis Germanicorum. II 14. Lecti e cohortibus. II 18. Correptis signis vexillisque legionariorum. II 24. Tertiae decimae legionis vexillum. II 83. v. supra. II 89. v. s. II 100. v. s. III 6. Vexillarios e cohortibus (sociorum). III 48. Vexillarios e legionibus. III 50. E legionibus lecti. IV 24. Lectos e legionibus. IV 35. Mille delectos e legionibus.

Agr. 18. Legionum vexillis. v. supra.

His quae attuli exemplis id quidem certissime probari videtur, legem illam dicendi iam saepius commemoratam a Tacito diligentissime servatam esse; quod autem laudavi delectorum numeros, quibus vexillariorum nomen non distincte additum est, id eam ob causam facere volui, ut et ipsis pariter ac ceteris vexilla fuisse non iam in dubium vocari posset.

Deinceps ut ad alterum pracipuum vexillariorum genus, cuius supra mentionem fecimus, transeamus, de veteranis exauctoratis, quos solos hoc nomine insignitos voluerunt nonnulli interpretes nobis dicendum est. Et ipsos perinde ac delectos e legionibus sub propriis vexillis suisque praefectis ceterorum immunes nisi propulsandi hostis habitos esse, pluribus Taciti locis luculente probatur. Simul eadem ille dicendi consuetudine, qua in prioribus eum usum esse cognovimus, in veteranorum numeris afferendis passim teneri voluit. Quam si editores semper secuti essent neque multa errorum nube offussa rem apertam plane obscuram reddidissent, non iam longa disputatione opus esset. Nunc vero ut in antecedentibus locos de electis e legionibus vel cohortibus vexillis vexillariisve congerere congestos, ut omnis in posterum error tolleretur, certis rationibus firmare studebam, ita in veteranorum vexillis indagandis suisque numeris adscribendis eadem via insistere placet. Inprimis autem huc faciunt, quae in Annalium libro primo de seditionibus legionum et Pannonicarum et Germanicarum memoriae prodita sunt. Uterque enim excercitus haec duo potissimum queritur, quod et stipendia nimis tenuia mereant legionarii et stipendiorum numerus spatium excedat legitimum, cum post viginti militiae annos exauctorati non statim praemiis promissis ornentur, sed sub alio vocabulo (sc. vexillariorum) eosdem labores perferre cogantur. [30])

Itaque Ann. I 17 Percennius, ut militum animos concitaret, haec fere: „satis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes aut plerique truncato corpore tolerent. Ne dimissis quidem finem esse militiae, sed apud vexillum tendentes alio vocabulo eosdem labores perferre.“ Et paullo infra: „ne ultra sub vexillis tenerentur, sed eisdem in castris praemium pecunia solveretur!“ Iisdem ferme diebus iisdem causis Germanicas legiones turbatas legimus. Ex his militum querelis hoc certe liquet, veteranos exau-

---

[30]) Omnino cf. Ann. I 16—46, ubi vividis ut solet coloribus legionum seditiones describit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ctoratos, antequam agros aliaque militiae praemia acciperent, proprio vocabulo vexillariorum appellatos in castris ita retentos esse, ut plerumque cum legionibus coniuncti, [31]) sed sub proprio vexillo suoque praefecto distincti militarent. Postulant autem turbulenti, ut praemia emeritorum statim missis solvantur neve imperator ex senio mortem, ex morte compendium captet. [32]) Vexillarii igitur et ipsi dicebantur — hinc orta est quaestionis confusio — iique primarii ita tamen ut aut genitivo adiuncto omnis error excludi videatur, aut ex narationis serie, cuius generis vexillarii sint, dilucide perspici possit.

Accedit Ann. III 21. Tantumque severitate profectum, ut vexillum veteranorum, non amplius quingenti numero, easdem Tacfarinatis copias praesidium, cui Thala nomen, aggressas fuderint. Nisi etiam aliorum fuissent vexilla non opus fuisse adiecto veteranorum nomine, recte monuit Hertelius p. 89, apposite comparans Ann. I 20., ubi Clemens centurio, postquam cetera militum postulata exposuit, postremo adiecit, ne veterani sub vexillo haberentur. Reliqua igitur, ait Hertelius, promiscue pro omnibus postulari vides, in ultimis verbis diserte appellat veteranos. Qui si excipiuntur id ipsum dicit, alios posse, modo ne veterani sub vexillis habeantur. cf. Ann. I 39.

Item H. II 11., ubi enumeratis aliis Othonis viribus haec sequuntur: Et ex ipsa urbe haud spernenda manus; quinque praetoriae cohortes et equitum vexilla cum legione prima. — Ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora cum ceteris praetoriis cohortibus, veterani e praetorio, classicorum ingens numerus. — Qui h. l. veterani e praetorio dicantur et sub proprio militasse vexillo et eosdem vexillarios veteranos e praetorio appellari potuisse, quamvis facile concedas, tamen ne cum Rittero eosdem illos fuisse, qui infra c. 18. mille vexillarii dicantur, pro certo statuendum esse putes, id inprimis obstat, quod isti veterani non ad Spurinnae milites cum Annio Gallo ad occupandas Padi ripas praemissos adscripti erant, sed inter Othonis ipsius copias nominatim proferuntur. [33]) Immo eosdem illos fuisse ac praetorianum vexillum, quod H. III 21. commemoratur, mihi quidem persuasum est. cf. II 96.

Praeter locos supra laudatos [34]) unum modo, quo veteranorum mentionem fecit Tacitus, reperire potui: Ann. I 78. (edixit) — imparem oneri esse rempublicam, nisi vicesimo militiae anno veterani dimitterentur. [35]) Huc saltem non referenda esse Germanica vexilla, quae H. I 31. memorentur quaeque apud Suetonium Galba 20. Germanicianorum vexillatio dicantur, ex iis elucet, quae de iisdem Tacitus a Nerone bellum in Albanos parante Alexandriam praemissis atque rursus adversus Vindicem reportatis et h. l. et H. I 6. memoriae

---

31) Quare etiam apud Hyginum de munitionibus castrorum 5 et 24: „vexillarii legionum eandem pedaturam accipere debent.“ Delecti autem ex legionibus non solum impedimentorum causa, quod Langio et ad Hygini locum et in Hist. mut. videtur, cogitari nequeunt, sed quod si integra aderat legio, vexillarii eiusdem iam esse non possunt; alii vero plerumque non sufficiunt. Accedit quod Hyginus l. l. legitimam copiarum distributionem describens alios vexillarios quam eiusdem legionis veteranos intelligere non potuit.

32) v. Suet. Tib. 48. Calig. 44.

33) cf. supra ad. H. 18.

34) In Ann. I 16-46 passim agi de veteranis, iam supra adnotatum est.

35) cf. supra.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

prodidit. [36]) Et argumentum ab Hertelio pro veteranis ex aegritudine statuque invalido petitum per se concidit, cum causa malae valetudinis sc. longa navigatio a scriptore ipso statim urgeatur. Neque magis magnum vexillariorum numerum, quem Velleius II 100. in Pannonia caesum dicit, necessario pro veteranis omnes habendos esse censeo, quamquam et tales illic fuisse facile concedo. Sed haec sane nihil ad rem nostram! At vero ne numerum istum parcissimum mireris, id animadvertas quaeso, inde ab illo tempore eas missiones, quibus concessis sub vexillis militarent veterani, rariores factas esse. Id cum ex aliis testimoniis tum ex Suetonii locis supra allatis certissime evincitur. Iam quae et de vexillariis legionariorum sive delectorum e legionibus et de vexillis veteranorum disputavimus, ex his hoc certo efficitur, apud Tacitum utrosque haud raro accipiendos esse, ita tamen ut illi multo pluribus locis vel diserte memorentur vel facile intelligi possint, cum a sua dicendi consuetudine nusquam ille recesserit.

Aliis praeterea locis varia militum vexilla occurrere et pluribus eiusdem exemplis et multis veteribus titulis luculente comprobatur. Quod cum per se nihil habeat, quod offendat, tum ex Taciti loquendi genere facile explicatur. Ut enim vexilla veteranorum vel delectorum e legionibus his illis dicere potuit, ita accurate illa denotans etiam vexilla equitum, [37]) tironum, [38]) singularum cohortium [39]) appellare debuit; quin etiam his ipsis additamentis id luce clarius evincitur, vexilla sive vexillarios inde dictos ad omnia militiae genera pariter referenda esse. Et eandem dicendi legem in veteribus inscriptionibus observari, videre licet ex titulis apud Orelli-Henzen. Ita ut paucos, qui quidem huc faciunt, proferam, n. 6923 praepositus vexillationis classis praetoriae sive Misenatis sive Ravennatis memoratur. Item 6920. praefectus vexillationis auxiliarium. 6832. vexillatio catafractariorum. 6788. vexillatio equitum. 2010. vexillatio cohortis civium Romanorum. Vexillatio exercitus Germanici. Jahrbücher des Vereins für Alterthumsfreunde im Rheinlande. VII, 61. X, 63. [40]) Praeterea cf. Huebner. Rheinisches Museum. Ueber die römischen Heeresabtheilungen in Britannien. T. XI et XII.

Remotis his quae videbantur difficultatibus et scriptoris locis, qui quidem dubitationem aliquam movere poterant, accuratius explicatis, ad illud, quod ultimum nobis proposuimus, venimus, ut indagata vi propria vocabulorum vexilli signique, quae fuerint quidve apud Tacitum [41]) quidem intercesserit discriminis inter ipsum signumque certius definiamus.

Ac primum quidem veli vocabulum ex radice verbi veh-endi non cum Cicerone Or. 45 153. e fuga literae vastioris factum esse ex vexillo, sed ipsum vexillum sine dubio deminutivum postea derivatum inter earum rerum peritos satis constat. Veh-ulum enim, ex quo

36) Vexillarium quendam veteranorum legionis quartae invenio apud Orellium. Inscr. Lat. n. 3545.

37) H. II 11.

38) H. II 78.

39) H. III 6.

40) Quae fuerit schola vexillariorum, quam apud Orelli-Henzen n. 7336. traditam legimus, merito in medio relinquo. cf. Orelli-Henzen 6790. Renier, Rapports cet. p. 20. Item genium vexillariorum, quem protulit Roulez, Jahrbücher des V. f. A. im Rheinlande XI 75 aliorum acumini facile condono.

41) Me quidem ad litem illam de signis cohortium legionis Romanae diu motam unquam componendam quidquam conferre posse vix sperandum est, cum unum Tacitum respiciens incerta incertae aetatis monumentorum vestigia premere nolim.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

velum contractione efficitur, nihil aliud est quam instrumentum quoddam promovendi; altera autem forma ex eadem stirpe deducta est vehiculum. Illa de solis navibus usurpata latiorem sensum induit, ut esset pannus, tegumentum quodvis obtentum forma quadrata et in conto aliquo suspensum. Inde deminutivum formatur ut ex mala maxilla, ex ala axilla, ex paullo pauxillum, sic ex velo vexillum, quod est pannus exignus tanquam signum in conto transversum militibus propositum.[42])

Signum contra est nota quaedam, qua rem certam vel similes eiusdem corporis partes ita distinguas, ut non iam confundi possint. Quare in re militari omnia exercitus insignia, quibus singula militiae genera vel eiusdem corporis partes dispescantur, in universum uno signorum nomine dicuntur. Quod quam late pateat quibusque finibus circumscribendum videatur, ex sequentibus statim apparebit; ita autem rem instituere libet, ut priore loco de signis in universum, altero de signis arctiore sensu interpretandis, denique de vexillis, quae proprie dicuntur, paullo fusius agatur. Iam historiam signorum legionis evolvamus, ut qui fuerit Taciti aetate ordo habitusque singulorum penitus perspiciatur. Atque aquilam inde a secundo Marii consulatu a. 107 a. Chr. universam legionem duxisse, Plinii testimonio diserte edocemur.[43]) Antiquatis iam luporum, minotaurorum al. imaginibus, sola aquila, quae antea primum omnium fuerat, manebat universae legionis insigne, cum singulae cohortes illa quidem aetate signis uterentur,[44]) quae ut aquila ipsa in veteribus monumentis passim vexillis ornata videntur, ita ut non uni alicui signorum generi, sed omnibus promiscue vexilla adsignanda sint. Praeter vexilla autem varia erant ornamenta, quibus, quae proprie dicebantur, ut equitum et vexillariorum, semper carebant.[45])

Signi igitur vocabulo Tacitus aut generali, quam supra dixi, notione utitur, ut quaevis exercitus insignia denotet, aut arctiore sensu, quo vel legionum cohortibus vel sociorum et praetorianorum numeris proprium tribuit.[46])

I. 1. Atque primo loco signa dicuntur solae aquilae exceptis cohortium insignibus. Sic. Ann. II 41. Ob recepta signa cum Varo amissa. — Intelliguntur autem duae aquilae, de quibus Ann. I 60 et II 25 mentionem iniecit. Fortasse etiam huc facit H. II 81. „Ut

---

[42]) Diversam eandemque miram derivandi rationem iniit Doederlinius. Lat. Synonym. etc. V. p. 210. qui cum vexillum a vexando, vegendo deducit, velum ex veslum ortum ad stirpem substantivi vestis, goth. wasjan bekleiden referre studet.

[43]) Plin. Hist. nat. 10, 5. Erat et antea prima cum quattuor aliis; lupi, minotauri, equi aprique singulos ordines anteibant. cf. Lange. Hist. mut. p. 23 n. 6.

[44]) Aliter Lange l. l. p. 23. 24. Hanc Langii sententiam, qua etiam illo tempore manipulorum insignia fuerint, acriter impugnat Ruestow. Das Heerwesen des Julius Cäsar. p. 15; Braun. Der Wüstenroder Leopard, ein römisches Cohortenzeichen. Bonn 1857 p. 29.

[45]) cf. Wiener de leg. XXII. p. 68. Lange l. l. p. 47.

[46]) cf. Ritter. ad Ann. II 17 de hac re fusius disputantem, ita tamen ut plane diversa componere mihi videatur. — De signis in universum remittere placet ad La Chausse in Graevii Thes. Antiq. Rom. X p. 1528 sq. Le Beau, Mémoires de l'academie T. XXXV. Habel, über die Feldzeichen des römischen Heeres in den Annalen für Nassauer Altertumskunde. II, 3 p. 118. Praetera v. Eckhel. Doctrina numorum. Vol. VII p. 493.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

signifer legionis sextae signum ad eum transtulerit;" nisi interpretari velis ein Fahnenträger von der 6. Legion, ut ad cohortem aliquam referendum sit.

2. Accedit altera significatio, qua aquila cum decem cohortium insignibus signorum nomine comprehenditur. Ann. I 42. Primane et vicesima legiones, illa signis a Tiberio acceptis, tu tot proeliorum socia tot praemiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis? — H. III 10. „Mox conversus ad signa et bellorum deos — orabat Antonius." Complectitur autem et signa cohortium et quinque legionum aquilas generali nomine signorum. Item H. III 18. „Ad quartum a Cremona lapidem fulsere signa Rapacis atque Italicae" noli cum Rittero de solis aquilis cogitare, sed etiam de ceteris legionis signis, cum in pugnae imagine vividis coloribus descripta non apte duarum aquilarum, sed omnium signorum species oculos quasi praestringens exhibeatur. Cf. H. III 82 simul fulgentia per colles vexilla. H. IV 34. „In conspectu castrorum constitui signa — Vocula iubet." Sunt autem aquilae cum signis cohortium. H. IV 62. „Revulsae imperatorum imagines, inhonora signa fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis." Detrectato igitur imperio milites quae in signis portabantur imagines imperatoris aliaque laetae militiae ornamenta revulserant, ut iam re vera essent inhonora incomptaque, cum ex altera parte hostium fulgerent vexilla.

Ea est vis signi vocabuli sensu quem dicunt generali a Tacito multis locis usurpati.

II. Sequuntur signa arctiore sensu interpretanda de insignibus aut cohortium legionis aut praetorianorum[47]) vel sociorum.

1. Primo loco legionis cohortium signa[48]) nominantur. Ann. I 37. Cum fisci de imperatore rapti inter signa interque aquilas veherentur. Ann. I 39. Illic signa et aquilam amplexus religione sese tutabatur (Plancus). Ann. XV 11. Signa et aquilas et nomen infelicis exercitus tueretur. XV 29. Hinc agmina legionum stetere fulgentibus aquilis signisque. H. III 22. Abrepta quaedam signa — ipsum aquilam centurio servaverat. III 31. Signa aquilasque extulere. III 50. Signa aquilasque victricium legionum. III 52. Acciri aquilas signaque et quidquid militum foret. III 60. Aquilas signaque legionum. IV 77. Rarum apud signa militem et prope circumventas aquilas videt.

2. Altero loco signi vocabulo Tacitus utitur in designandis cohortibus praetorianorum, urbanorum militum, vigilum, sociorum.[49]) Sic H. I 36. „Ut non contenti medium inter signa vexillis circumdarent." Sermo est de cohortibus praetoriis, quarum singuli ordines sive centuriae utebantur vexillis, cum signa apud eos aquilarum vice fungerentur. H. I 44. „Inter signa cohortium iuxta aquilam legionis:" ubi signa praetorianorum et aquila legionis classicae eodem loco ponuntur, quod accurate inter se respondent. Aliter se habet H. II 18. „Correptis signis vexillisque," cum signa quidem ad eosdem praetorianos referenda sint, vexilla ad electos e legionibus, quos paullo supra vexillarios appellavit. H. III 21. Hic aquilarum signorumque (sc. cohortium auxiliarium) ordo. H. III 24. „Hic signa armaque vestra sunt", Antonius, Vespasiani dux, praetorianos adloquitur. H.

---

47) Et quae eiusdem conditionis erant cohortium urbanarum et vigilum. Cf. Kellermann. Vigil. Rom. Latercula duo. cet.

48) Cf. Orelli-Henzen. Inscr. Lat., ubi passim et signa et signiferi legionum proferuntur

49) Orelli-Henzen. 154. signifer coh. V Asturum. 3785. Genio et signis coh. I. F. al.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

III 63. „Miles Vitellianus transiturus in partes id quoque non sine decore, sed sub signis vexillisque, in subiectos Narniae campos descendere.“ Signa sunt cohortium praetoriarum, quas Vitellius cum praefectis praetorio Narniae reliquerat, vexilla aut centuriarum earundem aut equitum, qui H. III 61 diserte memorantur. H. IV 15. „Signa vexillaque — nomen magis quam robur, quippe viribus cohortium abductis e proximis Nerviorum Gugernorumque pagis segnem numerum armis oneraverant.“ Quo loco signa cohortibus auxiliaribus, vexilla delectis e legionibus attribuenda sunt, quae a Vitellio tanquam inania legionum nomina relictae erant. H. IV 18. Captarum cohortium (sociarum) signa. H. IV 22. Veteranarum cohortium (sc. Batavorum) signa. Cf. praeterea Ann. II 17. II 52.

Ex his quae attuli exemplis satis apparet, signa cohortium et legionum et praetorianorum vel sociorum propria fuisse; neque minus certo ex variis indiciis id efficiendum videtur, singulis praetoriarum cohortium partibus s. centuriis, ut ordines distingui possent, adsignata fuisse vexilla.

Vexilli nomine, ut ad illud transeamus, scriptor ita utitur, ut aut electis e quovis militum genere tanquam insigne id tribuat, aut singulis centuriis cohortium praetorianorum, aut certis numeris ut veteranorum, equitum, tironum. Primum genus passim obvium apud Tacitum his potissimum locis affertur.

H. I 31. Germanica vexilla diu nutavere. cf. H. I 6. I 70. H. II 18. Correptis signis vexillisque sc. mille delectorum e legione. cf. s. H. II 24. Tertiae decimae legionis vexillum. II 43. Plurima signa vexillaque sc. delectorum e legionibus. II 83. Tredecim vexillariorum milia. cf. supra. II 89. Totidemque circa e legionibus aliis vexilla. v. ibid. II 100. Mox vexilla quartae, quintae, quintae decimae et sextae decimae legionum. v. ibid. III 6. Vexillarii e cohortibus sc. sociorum. III 22. Cum vexillis nonae secundaeque et vicesimae Britannicarum legionum. III 48. Vexillarios e legionibus.

Accedunt vexilla singularum cohortis centuriarum propria.[50]) H. I 36. — ut — medium inter signa vexillis circumdarent. H. III 63. Cum signis vexillisque. Item explicatum habet facillimum Agr. 35, ubi Ritterus „auxiliorum vexilla“ a Tacitei sermonis diligentia recedere putat. Immo vexilla illic singulorum ordinum, de quibus paullo ante monuit scriptor, interpretanda sunt. „Diductis ordinibus ante vexilla constitit.“

Postremo addenda est ea significatio, qua vexilla affert veteranorum, de quibus supra fusius disputavimus, equitum H. II 11,[51]) tironum Ann. II 78, ad quos universos proprie spectasse vexillum, inter omnes satis constat.

Hanc signorum et vexillorum rationem statuentem me non fugit Ritteri sententia, quam ad Ann. II 17 magna cum sollertia unice veram esse evincere conatur. Censet enim vir doctissimus atque exemplorum nube allata id sibi firmasse videtur, hoc esse dicendi genus apud Tacitum, ut quotiescunque signa vexillaque iungantur, illa cohortium socialium, haec militis legionarii propria intelligantur. At nunquam, ubi de legionibus non admixta alius generis

[50]) Orelli-Henzen. 3471. 6752. vexillarius centuriae vigilum. 3459. 6831. 6791.

[51]) Cf. tamen Kellermann. Vigil. Rom. inscr. 106. 214. 217. 227, ubi qui in aliis titulis vexillarii equitum dicuntur, latiore sensu signiferi appellantur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

militia sermo sit, signa vexillaque nominari, sed aut vexilla, aut aquilas vexillaque aut signa aquilasque. Cohortes praetorias si extra urbem ad proelia proficiscantur more cohortium socialium sub signis pugnare, in urbe et vexillis uti et signis. Contra in legionariis praeter aquilam signa a Tacito non referri, nisi universe vexilla nomine signorum appellentur. Haec ille quidem: sed tantum abest ut quae attulit exempla id quod voluit evincant, ut duos locos, qui ei fraudem fecisse videntur, longe aliter explicandos esse putem. Sunt autem Ann. I 34. Adsistentem contionem, quia permixti videbantur, discedere in manipulos iubet: sic melius audituros responsum, vexilla praeferri, ut id saltem discerneret cohortes, tardius obtemperavere. Et H. II 85. Aquileiam progressae (legiones Moesicae) proturbatis qui de Othone nuntiabant laceratisque vexillis nomen Vitellii praeferentibus hostiliter egerant. Cf. Suet. Vesp. de iisdem: „assensere cuncti nomenque eius vexillis omnibus sine mora inscripserunt.“ Iam in utroque loco de vexillis quidem agitur legionum, ita tamen ut vexillum, quod proprie dicitur, quoque signa legionis in universum ornata fuisse diximus, intelligenda sint. Priore enim loco Germanicus praeferri iubet vexilla, quibus cum vel certis numeris distincta essent, vel diversis ornamentis variisque coloribus insignita cohortes facilius internoscerentur. Signa autem ne dicere quidem potuit, cum singularum cohortium insignia Tacitea aetate non ita diversa fuisse videantur nec nisi vexillorum aut numeris aut ornamentis, cuiusnam essent cohortis, distingui posset. Item se habet alter locus, quo diserte eadem vexilla, quibus nomen imperatoris inscribi solebat proferuntur. Quod Suetonii verbis supra allatis luculente comprobatur, cum easdem legiones vexillis nomen Vespasiani inscripsisse tradat. Sublatis autem his duabus ut ita dicam aedis columnis, sublata est Ritteri de vexillis opinio. Nam quos praeterea attulit locos, iis nihil probari videbis. Sic ad H. II 18. „Sed indomitus miles — correptis signis vexillisque ruere“ „postquam signa praetorianorum, vexilla electorum sive mille vexillariorum esse ipse adnotavit, eodem argumento, quo singulorum legionis ordinum insignia haec fuisse demonstret, mire abutitur. H. II 43. „Legio XXI — plurima signa vexillaque rapuit.“ Signa sunt legionis primae, vexilla ceterorum hostium, non quod illi videtur inverso ordine contrarium. Nam nulla alia causa Tacitus alioqui verborum parcissimus adiunxit „ex hostibus,“ quam quod legionis ordines a ceteris distinctos voluit. H. III 63. signa praetorianorum insignia primaria, vexilla singulorum ordinum propria habenda sunt. Eadem ratione et H. IV 15 signa vexillaque et IV 34 signa cohortium sociorum, vexilla reliquiarum legionum interpretanda esse, ex conditione exercitus miserrima intelligi licet. Quod vero addidit alterum, nusquam ubi de legionibus non admixta alius generis militia sermo sit, signa vexillaque nominari, id re ipsa consentaneum est, cum si legionum insignia signorum nomine comprehenderet, non iam vexillis locus fuerit, nisi insuper delecti ex legionibus afferendi essent. Neque plus profecit vir doctissimus in explicandis signis vexillisque praetorianorum. Nam si in urbe eos promiscue et vexillis et signis, in expeditionibus solis signis usos esse dicit, id ut ex Taciti loquendi genere comprobare possit, magnopere vereor. Immo utuntur et in urbe et in expeditionibus signis vexillisque pariter ac legiones integrae aquilis signisque. [52])

[52]) Praeter signa militaria iusta imagines imperatorum apud primam cohortem erant: quas qui portabant imaginiferorum nomine a reliquis signiferis distinguebantur. Cf. Lange l. l. p. 48.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Haec habui, quae de signorum vexillorumque apud Tacitum notione atque discrimine accuratius explorata proponerem; restat ut de vexillis alio sensu explicandis pauca subiungam. Ut in antecedentibus locis vexilli vocabulum aut pro insigni certorum militiae ordinum sive numerorum aut pro ipsis illis numeris sub eodem coniunctis a scriptore usurpatum invenimus, ita in iis quae sequuntur aut tanquam insigne imperii domi militiaeve propositum aut donum militare militibus bene merentibus tributum passim in veteribus titulis deprehendimus. Ex Taciti locis inprimis ad priorem numerum referendis huc trahere liceat Ann. I 39. Et nocte concubia vexillum in domo Germanici situm flagitare occipiunt, concursuque ad ianuam facto moliuntur foresextractumquecubili Caesarem tradere vexillum intento mortis metu subigunt. Ita enim vexillum cum Lipsio aliisque accipiendum neque, ut post alios nuperrime etiam Nipperdeio visum est, pro vexillo veteranorum habendum esse censeo. Nam primum quidem ut seditio a duabus renovatur legionibus una cum veteranis brevi ante missis, ita Germanicus postero die non solos incusat veteranos sed universos milites fatalem increpans rabiem. Neque praeterea ex Taciti verbis id quod Nipperdeio placuit, veteranos cum imperatore in urbe collocatos fuisse apparet; immo ex Ann. I 44, „secuti exemplum veterani haud multo post in Raetiam mittuntur specie defendendae provinciae ob imminentes Suevos, ceterum ut avellerentur castris," contrarium efficiendum est. Cf. insuper Hygin. de castrorum munit. 5. ed. Lange. Accedit etiam illud quod, cum solae aquilae legionum in praetorio ponerentur, et signa manipulorum et vexilla veteranorum vel delectorum apud singulos copiarum numeros asservari solebant. Ista autem confusio ex praecedenti „veteranique nuper missi sub vexillo" originem duxit [53]) At vero si quaeras, quomodo factum sit, ut rebellantes ipsum vexillum imperatorium flagitarent, id inde explicatum habet facillimum, quod timentes ne legati missi ab imperatore per seditionem expressa irrita facerent, quo minus vexillum in praetorio proponi posset itaque ipsi ad disciplinam obsequiumque revocarentur, prohibere studebant. Quare erepto vexillo simul detrectari imperium recte interpretatur Wolfius ad h. l. [54]) Praeter Annales vexillum deprehendi praetorium H. V 22. „Namque praetoriam navem vexillo insignem illic ducem rati abripiunt." Sermo est de vexillo praetorio, quo tabernaculum ducis sive praetorium insignitum videmus; quod cum ad navem praetoriam translatum cernerent milites Germani, ducem rati ipsum in ea inesse statim abripiunt.

Dona militaria, ut haec quoque commemorem, apud Tacitum quidem non reperiuntur vexilla, sed multa in inscriptionibus Taciteae aetatis extant exempla. [55])

---

[53]) Perperam cum multis editoribus etiam Nipperdeius „sub vexillo" iungit cum „hiemabant," cum ad utrosque et ad legiones et ad veteranos referendum sit.

[54]) De vexillo imperatorio quod aut in urbe in magno aliquo tumultu aut in castris tanquam pugnae signum proponi solebat, v. Caes. B. G. II 20. B. Civ III 89. Liv. XXXIX 15. Plut. Fab. p. 182. C. Becker. Handbuch der Röm. Alterth. II. 3. A. 342.

[55]) v. Orelli-Henzen. Inscript. Lat. indic. s. vexilli vocabulo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf